



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,
discussa, & explicata

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

XLII. Differentia 15. Iure Canonico post biennium opponi potest exceptio
non numeratæ pecuniæ in vim exceptionis doli mali contra dolosum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

DIFFERENTIA 19.

Iure Canonico etiam post biennium opponi potest exceptio non numerata pecuniae in vim exceptionis doli mali contra dolosum. Dynas in c. Locupletari, de Reg. iur. in 6. *Secus est iure civili: l. in contractib. C. de non num. pecun. Instit. de literar. oblig. per tot. lo. Bapt. à S. Blasio 20.*

I. **Q**uia nominatus auctor Dyni auctoritate nititur, verba annumerabo: Videtur, inquit, obflare Regulam, quod non opponens exceptionem non numerata pecuniae, intra biennium obligatur cum effectu, l. in contractib. C. de non numer. pec. l. si ex cautione, & instit. de literar. oblig. Ergo adversarius ipsius locupletatur cum iactura, & injuriâ non opponentis. Sed de iure civili respondetur, quod, cum fiat legum auctoritate, non videtur injuria fieri. Sed negari potest quod non fiat cum damno veritate inspectâ. Et ideo, si is, qui confessionem recipit, sciat se non numerasse, dicerem, quod de aequitate Canonica exceptio non numerata pecuniae non excludatur biennio, cum mala fidei possessor nullo tempore praescribat, c. Possessor, de Reg. iur. in 6.

II. In eo igitur à iure civili Canonico diffidet, quod hoc aequitati rationis naturalis insistens, ne prava cupiditati & fraudulentia aditus pateat, exceptioni non numerata pecuniae nullum terminum praescribit; Ius civile verò inimicum æternis litibus quasi in vindictam prolongantis exceptionem, prohibet illam post elapsum biennium

opponere. In lo. cit. Instit. de liter. obligat. alia causa additur, ne creditores diutius possint his pecuniis forsitan defraudari, ideo tempus coarctatum est ut intra biennium hujusmodi exceptio minimè extendatur. Nihilominus aliqui etiam post biennium hujusmodi exceptionem non numerata pecuniae extendi putant, mutuans enim qui pecuniam non numeratam exigit, dolo facit. Igitur actione doli repelli potest, hæc autem actio perpetua est, l. Perpetua, ult. ff. de doli mali, & mer. except. Præterea in l. Generaliter, C. de non numer. pecun. cavetur, si fatearis te debitorem esse ex alia causa, quam mortui, omnino esse obligatum, nec exceptionem opponere posse non numerata pecuniae, at tamen bene probare posse, ex illa causa non teneri per veram & legitimam probationem Ergo licet non possis opponere exceptionem non numerata pecuniae, ut in mutuantem rejicias onus probandi, optimè poteris probare non esse numeratam pecuniam. V. Zanger. de except. p. 3. o. 14. n. 47. Bronchorst. Constit. 2. ass. 22. Palaus de iust. com. Diss. 4. Puncto 7. n. 15.